

7. 7.  
DISPUTATIO ACADEMICA

DE  
ORATIONE  
PETITORIA,

14  
*Quam*  
D. O. M. A.  
IN ILLUSTRIS ACADEMIA JENENSI,  
Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ  
*publicæ disquisitioni sistunt*

PRÆSES  
M. JOHANN CASPAR Brendel/  
GUTMANSHUSA THUR.

ET  
RESPONDENS  
GOTTFRIED Fischer/  
Syldâ Mansfeld.

ad diem Martii  
Anno M. DC. LXXX.

---

JENÆ, TYPIS GOLLNERIANIS.



DISPUTATIO ACADEMICA

ORATIONE  
PETITORIA

IN ILLUSTRI ACADEMIA JENENSIS  
Facultatis Philosophicae  
Publicae disputationis forma

M. JOHANNI CASPARO  
GUTMANSCHUS THUR.

GOTTFRIED  
Sylb. Mansfeld.

ad diem Martii  
Anno MDCCLXX

JENAE. Typis GÖTTNERIANIS.







Q. D. B. V.

## PRÆLOQUIUM.

**S**æpe vota eò proficiscuntur, quò non fuimus intenti, invitis laudabilia suggeruntur desideria, & cum superficie tenus petitio negligitur, conatus nostri altius in cogitationum radice, quas in DEI gloriam suscipimus, solidantur. Cogitanti mihi de Academico specimine, tam ambigua fuit mens, ut, ubi pedem figere debuissem, excogitare non potuerim. Neitaque in vanum mens mea evagata esset, cum omne opus, quod Directore omnium non cooperante suscipitur, ruat, cogitata arctissimè unita dissipentur nube fugaci celerius, à Deo firmum expectavi adjutorium; petitionem meam ad eum direxi, à quò omne unicè profluit bonũ, ejus imploravi auxilium, sine cujus virtute nihil est in homine, nihil in hoc universo. Qua spe suffultus orationem petitoriam defendendam suscepi, ut quali specimine Academico ejus naturam explicem, & modum ejus diductius enarrem. Ad Te itaque D. T. O, M. qui mihi hæc pia & laudabilia




bilia suggesisti desideria, iterum meam petitionem verto, quò me, in hac orationis petitoriae materia, tuâ gratiâ dirigas, vires sufficias deficienti, intellectum illumines, ut, quæ mente & calamo concipere licuit, omnia in Tui altissimi Nominis gloriam, rei literariæ commodum, meumque cedant emolumentum. Te verò L. B. amicè rogatum volui, ut primum hunc meum foetum læta fronte aspicias, conatibus meis fa- veas, & quæ non satis à me, ob ingenii tenuitatem, accuratè dicta, aut scripta sunt, candi- dè moneas, meliora edoctus, libenter sequar. Sit nunc.

**THES. I.**



## THES. I



Non abs re nostra fore putamus, si prius rem ipsam quam aggrediamur, aliquot lineolis de nominum enodatione disseramus. Non raro enim sub nominibus, ceu ignis in cinere sopitus, delitescit ipsa rei cognitio. Et quoniam in enucleandis nominibus duo potissimum consideranda veniunt, origo nempe seu originatio, & deinde id, ad quod significandum sunt imposita, h. e. notatio seu significatio, hinc de utroque quaedam essent monenda. Verum cum illa neminem praetereat, ea propter missa eam, de eorum significatione dicemus. Nomina verò hic occurrentia sunt: *petitio & oratio*. De singulis peculiariter.

## THES. II.

Nomen *petere* varia habere significata, notò notius est. Dicere proinde solemus: jugulum petere. Item, vitam alicujus insidiis petere. Cicero in orat. pro Cluent. exordium paulò longiùs petere dicit: it. Quintilianus, delectatio ex studiis petitur i. e. studia delectationem seu oblectamentum pariunt. Petere cibum è flamma dixit Ter. in Eunucho. act. 3. s. 2. Eidem Quintiliano lib. 4. c. 4. petere idem est ac agere actione privata, hinc ipsi *petitio* denotat actionem, qua quis rem suam aut sibi debitam in iudicio persequitur. Et hæc significatio admodum frequens est in jure nostro. Sic v.g. *petitio hereditatis* significat actionem & quidem realem, qua quis consequitur universum jus, quod defunctus habuit, vel etiam partem ejus. Si itaque hoc sensu vocabulum *petere* accipiatur, tunc petimus etiam rem nostram, uti constat ex allato exemplo, quando videlicet quis petit hereditatem, ubi non alienam sed rem suam petit, sic qui petit equum, ab alio sibi ablatum, etiam rem suam petit, quamvis de cætero *petitio* actionibus personalibus principaliter



ter tribui solet. Plura, de hac petitione, qui desiderat, adeat *Calvium in Lexic. Juridic. p. m. 701.* Deinde petere idem est, ac humiliter & precibus aliquid postulare. Sic *Ter. in Phorm. act. 1. sc. 1.* petere aliunde sibi auxilium, it: petere omnibus precibus ab aliquo aliquid, it. petere opem, præsidium ab aliquo. Suppliciter pacem petere *Cicero dixit.* Et hæ duæ significationes ultimæ possunt esse hujus loci. Plura vid. passim apud *Lexicograph.* Hæc interim sufficiant de voce petitionis.

### THES. III.

**V**Ocabulum orationis quod concernit, neque hoc unò sumitur modò. In præsentī tamen materia non accipitur (1.) pro oratione pura. Nec (2) pro oratione solùm eleganti & sva-  
vi. Nec (3) pro voce, cujus pars significat separatim ut dictio, non ut affirmatio vel negatio. *Arist. lib. de interpret. c. 4.* sive illa intelligatur interna, quæ in conceptu mentis consistit, sive externa, quæ ore profertur. Nec (4) pro oratione, quæ articulato constat sermone & à voce inarticulata distinguitur, quæ aliàs dici solet instrumentum animæ rationalis, per quod conceptus suos & propositum ostendit ac manifestat. vid. *Magnific. & Excellentis. Dn. D. Bechmann. in Syst. Physic. lib. 6. part. special. c. 5. §. 16.* Sed accipitur rhetorum usu pro oratione, qua aliquid postulamus vel pro nobis vel pro aliis. *Vosf. lib. 2. part. orat. cap. 25.* Hæc oratio non est merè naturalis, ut non quivis à natura doctus est sermonem rebus aptare convenientem, nec est merè arbitraria, quia ex nuda hominum impositione non pendet; sed est artificiosa, quæ certis legibus ac regulis artis includitur. Confirmant hoc ea, quæ *Magnific. Dn. Struv. in Syntagm. Jur. Civil. disput. 1. th. 6. ex Michael: de Luna & Arellano* affert. verba hæc sunt: *Licet omnes artes ac discipline, etiam mechanica, à ratione humana originem & perfectionem capiant: nulla tamen est, etsi vilissima & trivialis professio, quæ sola natura contenta sit, & quæ non tyrociniò, magisteriò, usu & exercitatione artificiali indigeat. Nam & loqui arte opus est, ut rectè loquatur, eloquatur, quam Grammaticam & Rhetoricam appellamus &c. vid. insuper Vosf.*



*Vosf. cit. loco & orationes passim.* Hujus artificia, jam paucis attingere, præsentis existimamus instituti.

#### THES. IV.

**C**omuni de sententiâ, oratio aliâ est generis demonstrativi, quæ intra terminos laudis & vituperii continetur. *Vid. Dietericus in Inst. orat. c. 10.* Alia deliberativi, sub quam utilia trahuntur in iis, quæ sub aleam deliberationis vocari possunt. *vid. Arist. i Rhet. c. 4. Ethic. 3. c. 5.* Alia est generis juridicialis, ad quam omnia pertinent, quæ in foro civili tractantur. Hoc genus tam latè patet, quàm latè se extendunt causæ civiles. Ubi obiter notandum, quod forum apud Rom. fuerit quintuplex. (1) fuit Forum Romanum, quod & Latium dicebatur it. vetus forum (2) fuit Forum Julii seu Palladii (3) Forum Augusti (4) Forum Nervæ, quod & transitorium dictum & denique (5) Forum Trajanum seu Ulpium *vid. Thom. Demster Antiquit. Rom. p. m. 191.*

#### THES. V.

**I**n quo autem genere collocari possit præsens nostra oratio, haud difficulter licebit hariolari. Sanè petitoriam orationem ad genus demonstrativum referendam saltem quandoq; veritati admodum congruum, imò apertum est. Ad genus enim demonstrativum pertinent omnes eæ orationes, quibus interiores animi motus aliquo modo variantur, uti, cum pristinum odium mitigari, conciliari quem tertio petitur, affectus indè exercitium talismodi deserri, hinc suscipi. Concurrit heic laus & vituperium variè v.g. si in quodam reperiatur voluntas justa, pulchra vel effectus justus, utilis, illa pulchritudo, justitia, utilitas extendenda vel laudibus efferenda: Hinc urbem laudamus, si dicimus, quod in illa pulchri quid, boni tam corporis, quàm fortunæ & animi. Eadem ratione, si quis v.g. pro studioso petat subsidium studiorum, desiderat hoc non absque fun-



fundamento, sed vel idè, quod honestæ familiæ, singularis diligentia. Vel si petam usum librorum, ostendendo utilitatem & necessitatem, adeoque semper in ejusmodi petitionibus laus quædã invenitur. Quandoque verò spectat ad causas forenses, adeoque non in alio, quam genere juridicali tractari debet. Ubi innotescit (1) elocutione, quia non tam est florida, ut in genere demonstrativo, ne actor crimina raris libret in antithetis, turpe enim est, ibi ludere verbis, ubi agitur de corio hominis, inquit Cic. (2) *Inventione*, quæ sollicita & periculi plena est, cum non levia aut ludicra petantur præmia, sed Turni de vitâ & sanguine lis sit. Unde Argumentorum pondere eget, magis quam sva-  
vitate affectatâ. Et affectuum vehementiâ, ut cor moveri possit & flecti illius, à quo impetratum imus salutem nostram *vid. Vosf. part. Orator. lib. 2. cap. 25.* (3) *Fine*, quia hic est finis, avertere exteriorem impetum, vel convertere, pro eo, ac status agentium desiderat. Alibi molliùs agas, ubi quæris delectare & gratiam auditorum conciliare.

## THES. VI.

**A**D orationem consultatoriam referri petitoriam aliquam, ex his facilè liquet. (1) *Ex objecto*, quia sub orationem consultatoriam non veniunt nisi contingentia, frustra enim est deliberare de illis, quæ fieri non potest, ut aliter vel facta vel futura sint vel se habeant. *Arist. 1. Rhet. 2. § 4.* Atqui sub orationem petitoriam veniunt etiam illa; quæ autem sunt necessaria, talia erunt ex hypothesi, illa nempe, quæ ratione petentis maximam habent necessitatem. Deliberamus deinde de illis, quæ sunt in nostra potestate. *Arist. 3. Ethic 3.* quæque à nobis agi possunt, quia frustranea esset deliberatio de illis, quæ sub nostram non cadunt facultatem; ita v. g. operam & oleum quis perderet, imò deridendum se omnibus propinaret, qui de futura eclipsi solari, pluvia, siccitate, aut an crastinus dies nubilus vel serenus sit futurus, deliberationem institueret. *vid. Arist. d. l.* Petimus ita illa, quæ sub concedentis cadunt actionem, & in potestate ejus sunt, (2) *Fine*, quia oratione petitoria aliquid postulamus, quod indigentia



gentia nostra exposcit; & oratione consultatoria de illis, quæ ad finem consequendum sunt necessaria, deliberamus. (3) modo, quia deliberatio, prout vel molesta & difficilis, vel grata apparet jam obliqua, jam magis directa esse solet, nil enim obstat, quin rem nemini odiosam aut onerosam, directè tractemus; sic petitio, qua grata postulamus, directè, qua verò molesta, obliquè & indirectè magis debet tractari, cum primis, si natura hominis & constitutio minùs est jucunda, aut si ad divitias conservandas, vel ad severitatem, vel ad iram & animi crudelitatem est inclinata. Quanta hic opus sit prudentia, ut voti compos reddaris, quamque ardua res sit, ab avaro impetrare opes, à crudeli misericordiæ affectum, ab iracundo amorem, nemo est, qui non facile cognoscere possit. Et hæc sufficere possunt de voce orationis, quam generis loco posuimus, ex quibus latitudinem ejus, cum plurimas sub se contineat species, facile cognoscere licebit.

## THES. VII.

PRæmissâ natura generis, ejusque explicata ratione, ad alteram definitionis partem, nempe differentiam, devolvimur. *Differentia est nihil aliud, quàm id, per quod aliquid in esse suo primò, per se ac formaliter constituitur & ab aliis omnibus distinguitur.* Vid. *Magnific. Dn. D. Bechmannus in Inst. Logic. lib. 1. c. 3. p. m. 54.* Quod verò primò, per se ac formaliter aliquid constituit, illud etiam primò, per se ac formaliter aliquid ab alio distinguit. Definitur aliàs differentia, quod sit, quod de pluribus in quale quid predicari potest. Ubi per quale non intelligitur accidentale seu contingens, quale est accidens prædicabile, album scilicet respectu parietis, vel nigrum; *Nec necessarium consecutivum*, qualia sunt propria, quæ necessariò speciem sequuntur, ut risibile hominem. *Sed constitutivum*, quod rei essentiam primò ac perse ingreditur, eamque in esse tali constituit & ab aliis omnibus distinguit, qualis differentia non reperitur, nisi in ente per se. Cum nunc oratio petitoria sit ens per accidens & artificiosum, differentiam propriam non habebit, sed aliquid analogum

B

logum



logum in illa concipiendum erit per modum differentia. Ut autem in omnibus aliis definitionibus similibus differentia, ita etiam hic ordinariè desumi debet à *subjecto, forma seu modo & fine.* Quare de his, quæ differentiam continent, ordine nobis dicendum erit, & quidem primò de *subjecto*

### THES. VIII.

**S**ubjectum dicitur à *subjiciendo*, quod akeri in existendo vel prædicando vel alio modo subjiciatur. Et potest esse *vel inhæ- sionis*, cui oratio petitoria seu petitio inhæret, sive, ut oratores loqui amant, *Qui petit. Vel tractationis seu occupationis, h. e. obje- ctum, quod petitur.* Primùm agendum de *subjecto inhæ- sionis seu de eo qui petit.* *Subjectum hoc non est (1) Substantia mixta inani- mata*, quia nullam habet cognitionem, nec sensualem nec intel- lectivam, adeoq; nec alienam cognoscit perfectionem, bene- volentiam & misericordiam, nec suam indigentiam, neces- sitatem ac insufficientiam. Quamvis & his petitio nonnunquam assignetur in Sacris literis, sed hanc non nisi impropiè esse in- telligendam, res ipsa docet. Nec est (2) *Substantia sensitiva*, quia hæc, licet cognitionem habeat, illa tamen tantum est sen- sitiva, nec sermone aliquo articulato, ut instrumento rationis, uti potest, quæ verò petitiones illis tribuuntur, illæ omnes sunt tantum impropriæ ad speciem aliam confictæ, quales sunt in Poëtis, qui & prodesse & delectare volunt, ut & in Æsopo & aliis, quorum animus fuit, prudentiam involucris fabularum tegere.

### THES. IX.

**N**ec est h. l. *substantia intellectiva invisibilis finita*, quales sunt Angeli, quia licet petendi usum ipsis tribuas, tamen nec ad civilem societatem pertinent, nec sermone articulato, ut in- strumento rationis corporeo utuntur, adeoque dum Spiritus hi orationem exercuisse dicuntur, illud non nisi in carne as- sumpta, vel mediante aliquo corpore præstant. Nec est *substan- tia*



*tia invisibilis infinita Deus, quia nec ulla indigentia laborat, nec alium superiorem & perfectiorem agnoscit, nec articulatio sermone utitur. Sed est homo solus, qui indigentiam frequenter premitur, & in civitate vivit & sermone, ut instrumento animæ rationalis, utitur: Ita Cicero Oratorum fons apud Romanos rerum orbis dominos, rogabat pro Archia Poëta, ut in civitatem susciperetur, munusque ac privilegiis donaretur. Quò de videri potest integra eius oratio pro Arch. Poët. Huc pertinent quoque, ut tradit Vosf. cit. loco petitiones legatorum, quæ ad auxilia impetranda adversus hostes mittuntur. Cuius petitionis exempla varia recensentur apud Cornel. Nep. v. g. in vita Hamilcaris c. 2. num. 3. it. in vita Multiadis c. 4. n. 3. ubi Athenienses à Lacedæmoniis auxilia petiisse, refert ob indigentiam, quâ maximè laborabant, copiarum. Egregium quoque petitionis exemplum præbet Cic. lib. 2. epist. famil. epist. 5, ubi Milo consulatum petit, & quoniam Curio plurimum & autoritate & potentiâ in Senatu valebat: petit hinc Cicero, ut Milonem in adipiscendo consulatu adiuvet. Huc spectant quoque petitiones seu postulationes advocatorum, quando in iure vel iudicio desideria alicuius proponunt, aut aliorum desideria pro aliis contradicunt vid. Ulp. lib. 6. ad edict. Sed hæc de subiecto in hæfionis sufficere possunt. Restat, ut de altero, nempe occupationis subiecto, dicamus.*

## THES. X.

**D**icitur verò subiectum hoc occupationis, quia circa illud orator oratione sua petitoria occupatur. Vocatur aliàs à Philosophis materia circa quam vel objectum, quod obiiciatur alicui potentiæ, vel quod in illo, tanquam in obice, terminetur. Oratoribus circumstantia *quid?* appellatur. Et ita etiam in definitione superius allata exprimitur, quando dictum: *esse orationem, qua aliquid vel nobis vel alteri impetramus.* Hoc autem subiectum aliud est universale seu confusum, quod nomine particulæ aliquid venit. Illud enim aliquid conceptum habet latisimum & valdè confusum; aliud est distinctum & particulare, quod est



bonum. Nemo enim sibi malus est *inquit Seneca*; ita nemo quoque impetrare cupit illud, quod sibi noxium, aut malum existimat, neque malum ut malum ullius movere potest appetitum. *Notanter dixi malum ut malum*, cum aliàs sæpè eveniat, quod malum, quatenus apprehenditur sub ratione boni, movere & allicere queat appetitum. Relinquitur itaque bonum quatenus bonum esse obiectum adæquatum & per se facultatis appetitivæ, proindeque eam à solo bono posse moveri, nemo enim appetit quicquam, quod sibi malum esse ac noxium noverit *vid. B. Stahl. in regul. Phil. part. prim. Disp. 10. reg. 1.* Hinc etiam bonum, communi Philosophorum calculo, dicitur esse id, quod omnia appetunt. *Arist. 1. Rhet. 6. & 7.* vel si mavis, quod alteri est conveniens. Neque per hoc, ut ut voluntas nostra non petat malum ut malum, aufertur ipsi libertas contrarietatis, consequentia enim hæc: voluntas non potest petere malum ut malum. Ergò non est libera libertate contrarietatis, non videtur firma. Libertas enim contrarietatis latiùs patet, quam velle bonum & malum. Nam velle sedere, ambulare v.g sunt bona & tamen sunt obiectum libertatis contrarietatis; Satis quoque est ad libertatem contrarietatis, si appetitus in malum ferri possit, sub ratione boni apparentis.

## THES. XI.

**B**ONUM autem intelligitur *non tantùm in se & absolutè tale*, ut esse bona dicitur virtus, etiamsi ad nullum aliud bonum referatur, *sed etiam bonum respectivè*, quod in se quidem bonum non est, sed, si ad aliud referatur majus malum, aliquam rationem boni habere potest, ita damnatus ad rogam potest petere commutationem pœnæ in aliam aliquam leviolem & minùs tristem, ut nimirùm decolletur. Sic qui commeruit, ut virgis cædatur, potest petere, ut commutetur pœna in multam. Cum tamen neque decollare, neque pœna pecuniaria puniri, in se sit bonum. Sin verò decollari cum rogo, & pecuniaria pœna cum cæssione virgarum conferantur, aliquam habere videntur bonitatem, propter absentiam majoris mali.

*Nec*



*Nec bonum tantum intelligitur verum*, quando bonum aliquod, quod revera tale est, impetramus, cujus generis olim erant apud Rom. dignitates, honores ac munera, *sed etiam bonum apprens*, quod in se quidem bonum non est, nobis tamen bonum esse videtur, quod fieri solet, si v. g. stolidus quidam populus petat sine lege & Rege vivere, ut more pecorum vitam, non tam liberam, quam licentiosam transigat, quò existimat esse bonum, quod in se bonum non est, sed potius ipsi populo summè noxium: Quia sicut grex sine pastore prædæ & periculo, ita etiam populus sine Magistratu, latronum & piratarum vexationi exponeretur, *quò de passim Politici.*

### THES. XII.

**N**ec tantum *de bono per se* petitio instituitur, ut sunt, pecuniæ & divitiæ, quibus paupertas depellitur, ita virtus, quam optimi quique vel ejus saltim operationem, tanquam unicum vitæ suæ scopum, exoptant efficacissimè, & nullos non labores, pericula & molestias libenter sustinent, modò illâ potiri possint; Sed etiam *de bono per accidens*, quomodo medicamenta amara & appetitui minùs grata, non propter se, sed propter sanitatem appetuntur; Quomodo & à mercatore itinera minùs tuta ineuntur, navigationes plenæ naufragiis suscipiuntur, ut lucri, quod quærit, reddi possit particeps. Diogenes huic convenienter petiit ab Alexandrò, ut à dolio suo recederet, quò nimirum in suo doliolo Solis radiis irradiaretur.

### THES. XIII.

**S**ubiectum hæc occupationis porrò *aliud est indefinitum*, quod nullis certis definitur circumstantiis, quale est bonum, quod hæctenus explicuimus. Et hoc communiter triplex statuitur (1) *Honestum*, quod rectæ rationi est ut tali conforme, quale est virtus soli homini conveniens, bonum verè humanum. Qua bonitate, cum plurimi homines ex mente Philosophi carerent, &



nil minùs essent, quàm hominès, hinc à Diogene lampade in  
 meridie quæsiti sunt (2) *Utile*, quod vel ad conservationem abso-  
 lutè est homini necessarium, ut cibus & potus, vestitus, vel ad  
 melius ac commodius vitam transigendam ut sunt: divitiæ,  
 valetudo, splendor ac dignitas, quæ vitam humanam multis  
 modis exornant. (3) *Fucundum*, quod appetitum sensitivum  
 mirificè afficit, ut sunt omnia illa quæ sensu percipiuntur,  
 quomodo cibus suavitate afficit palatum, potus recreat gulam,  
 res pulcherrimæ pascunt oculos, res amabiles oblectant tactum.  
 Aliud est *definitum*, quod certis circumstantiis determinatur &  
 definitur Cic. sic Romæ petiit consulatum. Jacob petiit hanc  
 in individuo virginem, nempe Rachelem. Quale bonum de-  
 terminatum à certis circumstantiis & definitum oratoriæ est  
 considerationis ut plurimum, ex cuius solius respectu quæstio-  
 nem definitam ab indefinita distinguere solent. Præterea Cic.  
 inquit 5. *Tuscul. quæst. c. 30.* Tria genera bonorum, maxima animi:  
 secunda corporis: externa tertia.

#### THES. XIV.

**C**onditionibus itaque individuificis bonum determinatum &  
 singularisatum, sive, ut oratores maximè loqui amant, sub  
 certis circumstantiis latens, pro objecto orationis petitoriæ ut-  
 plurimum habetur. Quid quoque magis indigentiaæ humanæ,  
 quàm hoc in individuo bonum, opem ferre potest? Idcirco, ut  
 Philosophi magis universalibus, quæ à sensu sunt remotissima;  
 ita oratores individuicis & obviis sensibus delectantur.

#### THES. XV.

**A** *subjecto*, quod est primum, à quo differentia desumitur, ad  
 alterum, quod est *forma* seu modus transitum ordo ac me-  
 thodus imperant. Forma hic non accipitur *proprie* pro altera  
 parte compositi. Cujus officium est triplex (1) *dare esse primò*  
*ac perse* (2) *dare operari*, quia est actus primus omnium operatio-  
 num



num (3) *dare distinctionem*, cum omnia, quæ distinguuntur in Phisicis, per formam debeant distingui, materia enim eadem est omnium. De triplici hoc formæ officio *vid. Magnific. Dn. D. Bechmann. in system. Phisic part. general. lib. 1. cap. 4.* Sed accipitur *improprie & analogice*, quia, ut supra dictum, oratio est ens artificiosum & sic per accidens, adeoque formæ proprie sic dictæ expers. Concipi tamen aliquid in petitione potest, per modum formæ, cum & illa haberi debeat illud, quod ad orationem petitoriam requiritur, & per quod ab aliis orationibus distinguitur, quod formam vocare, non erit fortè indecorum.

### THES. XVI.

**F**orma autem hic nihil est aliud, quàm modus ille, qui in oratione petitoria maxumè observari debet, & per quem oratio petitoria constituitur & ab aliis distinguitur. Et hic modus potest esse duplex (1) *Generalis*, qui ad omnem petitionem est necessarius, seu, qui in omni petitione attenditur. In omni verò oratione petitoria requiritur (1) ut, quod petimus, *sit possibile*, quodque nobis potest contingere, quia stolidæ mentis est impossibilia rogare, quæ ut talia impetrari non possunt, frustra autem petitur, quò potiri nequimus. Ita ab hominibus v.g. cælum petere, cum illis telluris vermiculis non sit inpotestate, cælum desponsare, longè supra ipsos situm. Sic impossibilis est impetratu homini spiritualitas, hinc stolidè quis eam petet. (2) *Ut sit conveniens*, quia multa sunt possible, sed non aequè cuique & semper accommoda v.g. inconveniens esset, si rusticus vel alius plebeji ordinis homo ambiret virginem nobilem, vel si peteret gradum Doctoralem. Cujusmodi petitiones non tantum irritæ, sed etiam perniciosæ petenti esse solent. Ita camelus à Jove petens, ut cornibus armaretur, quod stolidus peteret, & ludibrio habitus, & auribus fuit privatus, unde inermis & deformis evasit. Irritam esse talem petitionem, probat inanis hominùm conatus à Jove petentium repellendæ senectæ aliquod remedium. Annuit quidem Jupiter petitioni & medicinam in utre conclusam tradidit, homines autem  
lati



læti remedium acceptum asino bajulandum in sarcina imponunt. Asinus vero siccas fauces aqua rigare cupiens; nec admissus à custode serpente, sarcinam commutat cum aqua. Ideò serpens exuvias suas deponit, asinus ab homine vapulat, & homo remedio repellendæ senectæ privatur.

## THES. XVI.

PORRò requiritur, ut subjectum petitionis *sit justum*, quod enim injustum est, ut rogari nec debet, ita nec impetrari potest. Et injusta petenti justè gratia negatur. Ita aliena bona petenti non annuitur, quia iniquum est justo possessori eripere & iniq̄ue desideranti partiri. Sic fratri petenti sororem in uxorem refragatur iudex, quia iniustum est contra legem aliquid facere. Sic in iure nostro petenti filiofamilias inconsulto Parente mutuò datum, Sctum Macedonianum obstat, quod prohibuit mutuas pecunias dare iis, qui in potestate Parentum sunt. (4) requiritur, *ut habeat modum sive ut observetur decorum*, quia indecorum v.g. diviti, à paupere aliquid poscere, Nobili à rustico. Decorum autem hoc in variis circumstantiis consistit. *Quis? quid? ubi? cur? quomodo? quando?* Quis petit? *nempè indigens & pauper.* Quid petit? *quod est justum, conveniens, quodque inopia & insufficientiæ succurrit.* Ubi? *in loco competenti*, quia non æquè ubique janua patet petenti, ut, quæ velit, impetret. Sicuti enim molestum est, aliquid largiri, ita maximè circumstantiis venit limitanda petitio. *Cur? ut inopiam sublevet, aliquo honore, quem virtute promeritus est, afficiatur.* Quomodo? *amicè & humaniter*, quia affectus sunt valdè delicati, idcirco modo petendi moderandi, *Quando? tempore opportuno*, in tempore enim venire est optimum, & tempore opportuno petere est omnium primum inquit Terent. Demum (5) necessarium est *ut sequatur remuneratio*, & si facultas forsan remunerandi admodum sit exigua, aut planè nulla, promitti tamen debet animus gratus & obsequiosus. Est enim donatarius obligatus donanti ad ἀντιδωρα, quæ obligatio in sola honestate ac pietate fundatur. *vid. Magnific. Da. D. Petrus Müllerus Patronus & Promotor studio-*



*studiorum meorum etatem devenerandus, in Diss. XIX. Colleg. public. de Reg. Jur.* Indignum enim est, impetrare beneficia & nescire illa compensare vel grato animo nolle agnoscere. Et malitiosus est hominis pro accepto beneficio ingratum gerere animum, imò homine ingrato *inquit Ausonius*, terra nihil pejus alit. Hinc optimè *Seneca lib. 3. de benefic.* Ingratus est qui beneficium se accepisse negat, qui accepit: ingratus, quid simulat: ingratus qui non reddit: ingratisimus omnium, qui obliviscitur. Et hæc dicta sufficiant de modo generali sive de iis, quæ in omni petitione sunt observanda.

### THES. XVII.

**N**unc ad formam seu modum specialem, qui in eo consistit, quomodo nempe in hac vel in altera petitione procedendum. Petitio autem *alia est recta, alia obliqua.* Recta sive aperta petitio locum habet in re planè honesta & apud eum, qui benè nobis cupit, instituitur. *Vid. Voss. part. orator. lib. 2. §. 4. c. 25.* In hac petitione nullo singulari opus est artificio, quos enim nobis benè velle novimus, faciles quoque nobis fore ad illud præstandum, quod efflagitamus, certi sumus. *In exordio* semper aliquid præmittitur, quod ad amorem partim veterem renovandum, partim intermissum excitandum, partim novum conciliandum, aut oblatum augendum, conducit. *In Confirmatione* ostenditur petitionis possibilitas, rei honestas ob oculos sistitur, & justam esse petitionem, indicatur, & si opus futurum existimamus, nostram voluntatem, conditionem explicamus ac necessitatem oculis exponimus, & quomodo indigentia succurri posset, modum ostendimus. *In conclusione* deum remunerationem, vel saltem animum gratum pollicemur. Huc referri possunt v.g. petitiones Principis, quando à subditis aliquid petit. Non enim ignorare potest, quod rei petitione à suis subditis facili negotio fieri possit compos. It. quando liberi à Parentibus victum & amictum petunt, quia possunt in eo esse certi, Parentes petitionis hæc, si modò tenuitas facultatis ipsorum, vel aliud quid non obstat, locum relicturos. Deus enim (*verba sunt Dresseri lib. 1. Rhetor. p. m. 95.*)

C

Parent-



Parentibus & liberis insignem imaginem suæ ergà nos 509yñs seu naturalis affectionis impresit: ut enim à se vult peti bona, ita etiam filios jubet Parentes rogare si quid ab iis sibi suppeditari cupiant. Hinc sanè fit, ut quoties liberi aliqua re egent, audacter eam à suis parentibus petant. Ut autem Deus, pergit Dresserus, benignus noster Parens nihil nobis petentibus denegare potest, præsertim si honesta & utilia flagitemus: ita etiam Parentes pro suo ingenti erga liberos amore non possunt non omnia necessaria & bona illis postulantibus suppeditare.

## THES. XVIII.

**H**uc pertinent petitiones civiles omnes, quæ coram Magistratu aut in foro civili solent proponi. licet hic quædam diversitas interveniat, propterea, quia in talismodi petitionibus, semper aliquod jus prætendimus, vel personarum, vel quod in re petita habemus, vel quod alter ad id, quod petitur, restituendum nobis sit obligatus. Hinc si v.g. quis servum vel filium famil. habuisset tutorem, qui ex tutelæ gestione ipsi adhuc debet ducentos imperiales v.g. adversus servum vel filium familias in solidum, vel adversus patrem aut dominum peculiotenus agere & in judicio directam instituere potest petitionem hoc modo: Compareo hic coram vobis, Judices honoratissimi & prudentissimi & peto, ut Titium servum quondam tutorem meum per vestram sententiam ad solvendos ducentos Imperiales, quos mihi ex tutelæ gestione adhuc debet, in solidum; vel si adversus dominum instituat petitiõ, in partem, quam peculii vires patiuntur, condemnetis &c. Item si alicui vi ablatu esset equus, petitionem coram Magistratu aut judice instituere potest directè, & quidem ita: Corã vobis judices prudentissimi ceterique adsesores honoratissimi compareo & dico, quod cum anno instanti, mense Septembr. ad fratris mei funera persequenda vocatus, itineri me accinxissem, adorsus me sit Moevius ad radices sylvæ Herciniæ, mihi que violenter abstulerit equum meum scutulatum, qui equus quinquaginta solidis venire potuisset. Quare peto, ut Reum in quadruplum



plum nempè ad restituendum equum & in triplum æstimationis dicti equi vestra sententia condemnetis. Huc referri posse videntur petitiones præjudiciales, quæ etiam præjudicia vocantur & sunt actiones, quibus de statu personarum agitur, qualis est petitio præjudicialis ex civitate, quæ civi asserenti se talem, contra magistratum, & vice versa Magistratui asserenti, aliquem civem, contra eum, qui id negat, competit *juxta Vultej. in jurisprud. Rom. lib. 7. c. 5. num. 12.* Plura petitionis directæ exempla adducere nolumus, progressum potius facientes ad petitionem indirectam.

## THES. XIX.

**U**timur verò petitione obliqua seu indirecta, si vel parum sit honestum, quod poscimus v. g. si subditi sine prægnanti causa peterent relaxationem servitiorum: vel is parum amicus, à quo petimus. Et has petitiones valde artificiosas esse oportet, quia animos hominum lucrari, non est res parvi momenti. Ut autem in recta petitione incedimus tramite recto & apertè omnia pronunciamus, ita in petitione obliqua & indirecta incedimus oblique & omnia facimus indirectè per insinuationem, ut amorem nobis, de quo incerti sumus, comparemus. Hic itaque locum invenit exordium indirectum, quod oratores insinuationem appellant. Et de hoc exordio indirecto, quando videlicet eo utendum sit videri potest *Quintil. lib. 4. c. 1.* Hinc ut maneamus in antea datis exemplis si quis petere vult familiaritatè summi alicujus viri vel etiam stipendia aut sumptus studiorum à summo aliquo & indignitate constituto viro, *exordiū* desumi potest *ab amore erga literas earumque cultores, quodq; illas semper magnificerit: vel ab extenuatione nostra, quod rem audeamus tantam petere; vel à pudore, quod noxius sit egeno; vel ab insinuatione, quod amore tanto indignus sit; vel modicè ad laudes ejus, à quo petimus, deflectimus, quod nempè egentium turbam benignis intueri soleat oculis quodque in primis pauperes musarum alumnos re & opera adjuvare ipsi volupe sit.* Hac insinuatione sive exordio indirecto etiam opus esse tum, quando causam de-

C 2

fen-



fendimus turpiculam, vel quando animus auditoris ab aliis ante occupatus est, vel etiam ad audiendum defatigatus, asserit D. Treutler, vir aliàs de jure nostro optimè meritus *lib. 1. cap. 6. de method. eloquent.* Possunt insuper & in hoc exordio, *ne temerè videamur confidere*, fiducia adduci causæ: quod scil. *divinum* sit, egeno benefacere, it: *honestum, justum & æquum, eum*, qui in difficillimis studiorum ( quorum summa in tota vita & dignitas est & honestas ) angustiis versatur, auxilio sublevare. It: *à facili*, quia Deus ipsum larga benedictione affluentibus rerum omnium copiis abundè cumulavit, ut proinde sine ullo rei familiaris damno, qualescunque in egenum studiosum facturum sit sumtus, maximo cum ipsius fœnore, collocare possit. Potest denique causa desumi *à fine & utili*, quod nimirum sumtus concessos non vino, venere, luxu aliisque scurrilibus ineptiis infumere, sed potius laborare velit, ut omnia in optimarum literarum studia conferantur, quò ex hac liberalitate, vel Ecclesiæ, vel Reip. non exigua emergant commoda. Plura hujus exordii artificia *vid. passim. ap. cit. Trentl. & Quintil. d. l.*

## THES. XX.

**P**ropositionem quod concernit, si est res odiosa, quæ petitur, ea apertè non ponatur, sed tectè spargatur per totam orationem, vel, quod laudatissimum, sub finem indicetur, ubi amor jam est conciliatus, idque non nisi modestè & tectè v. g. in nostro exemplo per similitudinem hoc modo: quemadmodum ortâ qui tempestate navigat, decumanis jactatus fluctibus, primum omnium Numinis Divinissimi implorat auxilium, hinc eicit merces, ponit anchoram, impigram manum remoadmoveret & naufragium metuens omnia adit, ut, instanti vitæ periculo evitatô, portum attingat salvus ac incolumis; Ita optimæ indolis adolescens amplissimum studiorum pelagus ingressus maximis difficultatum procellis undiquaque ingruentibus, à quocunque potest, implorat opem & auxilium, omnemque movet lapidem, ut remotis scopulis obstantibus, ad portum eruditæ pietatis felicissimè appellat &c. *confirmatio æquè fiat indirectè*, ita, ut magis in laudibus occupemur, à quo petimus, quam



quàm in petitionis argumentis exponendis. Si tamen valida causa est, æquè ostendi potest, quod illud, quod petimus, sit justum, quod sit possibile, quod etiam profuturum bono publico. Maxime tamen juvabit hic morari in laudibus ejus, à quo petimus & commemorare antecessores, ipsorumque enarrare virtutes & beneficentiam in pauperes, ostendendo quàm pulchrum sit, ut heredes opum paternarum sint heredes etiam virtutum & beneficentiæ, ad quam continuandam ab illis sunt progeniti.

### THES. XXI.

**O**ccupatio, in qua illa proponimus, quæ nobis ob stare possunt, nunquam est omittenda. Quod si quid nobis obesse posset, illud vel refellemus, vel extenuabimus, aut immutabile esse probabimus. Quia in re artificiosus est eloquentiæ facile princeps Cic. ut ex ipsius orationibus passim patescit, quam in rem exempla plurima occupationis adduceremus, nisi brevitatis memores, cancellos, quos nobis proposuimus, excedere nollemus. Conclusionem quod concernit, ea maxime esse debet artificiosa & affectu plena, in qua addere solemus preces pro illis, quibus cum nihil habere carius existimamus, obtestationes instituimus per res illas, quas petimus, per personas, pro quibus petimus, per defunctos, per cineres, quæ maxime movent, quia mortalitatis nostræ & immortalitatis sunt testimonium. Præsens exemplum quod attinet, possumus promittere animum gratum, insuper etiam polliceri sanctè, ut quicquid virtutum & bonarum artium in nobis sit, id omne in ejus, à quo petimus, cedat gloriam. Et quamvis facultas referendi gratias vel nulla sit, vel exigua; tamen summam fore animi nostri propensionem & prolixam semper voluntatem. Toti etiam nos fidei illius consecrare debemus, vid. Vosf. part. Orator. lib. 2. c. 25. p. m. 213, & alios passim.

### THES. XXII.

**A** Forma seu modo, quod erat alterum, à quo differentia petitionis desumpta erat, hætenus dictum, nunc ad tertium &

C 3

ultimum



ultimum, quod est *finis*, devolvimur. Finis est non tantum rei sed etiam differentie, a quo illa desumitur, ultimum. Non tamen intelligitur finis *terminationis*, qui in oratione petitoria est conclusio, sive ultima vox, in qua oratio terminatur, sed intelligitur *motionis*, qui nos movet & impellit ad petendum. Finis itaque hic est, cujus gratia aliquid petimus. Estque vel proximus & immediatus, qui nos immediatè movet, isque *vel externus*, ut est calamitas communis, status miserrimus amicorum, combustio fortunarum, erepta bona & mille alia; *vel internus*, qui intra nos est & movet nos ad aliquid petendum, ut amor literarum quò ardemus, amor boni publici, propositum animi, quod vel in Ecclesia, vel in schola, vel foro Politico velimus olim bono publico inservire, vel honoris adipiscendi necessitas & alia, quæ singula hic nec enumerare tempus est, nec opus esse existimamus. Vel remotus sive ultimus. Et est vel secundum quid talis vel absolutè talis. *Finis secundum quid talis est*, qui ultimus est quidem in ordine ad finem immediatum & proximiorum, habet tamen adhuc finem alium, ad quem ordinatur, ut est salus & commodum Reip. ad quam promovendam à natura esse nos obligatos scimus. Hic ostendere solemus, quod non tam nobis, quam bono publico assumpto beneficio vel impetrato prodesse velimus. *Finis absolutè ultimus est*, qui ad nullum alium ordinatur, qualis est Dei gloria, quam unicè nobis promovendam etiam in præsentis disertatiuncula proposuimus, cui summa devotione pro impetrata & collata nobis gratia debitum exsoluimus.

SOLI DEO GLORIA.



Applaudit Sophie dum monstras mentis acumen,  
Inque Tuo sedem collocat illa sinu.  
Quis non in famæ templis Te, quæso, locaret,  
Robora qui cerebri nosceret illa Tui?

*f. l. m. q.*  
H. B. Roth / D. P. P.  
h. t. Academiæ RECTOR.

---

*Scaxon.*  
Sophie Themistaque invicem sacrum pangunt  
Foedus, *mihî ex multis amice Brendeli,*  
Tecum, suasque rite collocant vires  
In Te. Quid ergo vanitatis admittam  
In augurando? Si Te utrâque perfectum  
Opus futurum dixerò ex Deâ quondam

*Cl. DN. PRÆSIDI Furium Cultori, Sophicum  
obituro certamen amicissimo applau-  
dit affectu*

PETRUS Müller / U. J. D. & P. P.

---

*Brendeli, Themidos cultor Sophiesque magister,  
Dum scandis cathedram supremam sidere fausto,  
Acclamo Tibi grande sophos, Feliciter addens.*

Hæc pauca. Nob. atque Clarisf.  
Dn. Præsidi gratul. apposui

J. B. Griesse /  
Phil. & U. J. D.

*Eximio*



*Eximio ac Prestantissimo*  
DN. M. JOHANNI CASPARI BRENDELIO,

Jurium Cultori,  
Ex superiori Cathedrâ  
disputaturo

FELICITER!

**D**Um Doctorum animas cathedram, Tibi gratulor omni  
Ex animô: Primum perbenè cedat opus!

*adclamat*

CASPAR POSNER, PROF. PUBL.  
& Collegi Philof. h. t. DECANUS.

---

**O**rnant Causfidicum facundæ Rhetoris artes:

*BRENDELI Genius percipit hocce tuus.*

*Differis in cathedra Rhetor: sic, ominor, olim*

*Causfidicum cernet TE sociale Forum.*

Testandæ amicitix ergo Cl. Dn. M. Præsi.  
di gratulab. deprop.

M. SAMUEL Rodigast/

Fac. Phil. Adj.

---

**N**unc prodis specimen Studii, assiduique laboris,  
Atque cupis Famæ scandere Tempa: probo.

Perge ita, ceu pergis; duro nè cede labori,

Vota secundabunt Fata benigna tua.

Jam Tibi surgit honos, Patriæ nova gloria surgit,

Quæ tam præstantem protulit Alma Virum,

*hæc*

*animo gratulabundo deproperabat*

M. JOH. FRID. TRETSCHER.

F I N I S.



00 A 6406

ULB Halle 3  
002 916 622




56

Retro V


VDMA











14

DISPUTATIO ACADEMICA  
DE  
**ORATIONE  
PETITORIA,**

Quam  
D. O. M. A.  
IN ILLUSTRIS ACADEMIA JENENSI,  
Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ  
*publice disquisitioni sistunt*  
PRÆSES  
M. JOHANN CASPAR Brendel/  
GUTMANSHUSA THUR.

ET  
RESPONDENS  
GOTTFRIED Fischer/  
Syldâ Mansfeld.  
ad diem Martii  
Anno M. DC. LXXX.

JENÆ, TYPIS GOLLNERIANIS.

